



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

2 Aprilis. 4 Nonas April.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

cordis, morumque concentu!

S. MARIA, quæ Hugoni Abbati
(tùm Novitio) tentato, ac sub tuo
præsidium confugienti, unâ cum Christo,
nunc afflicto, nunc gratiâ pleno, ad
fuisti, ac dixisti: Viriliter age, & con-
fortetur cor tuum in Domino: &
certus esto, te deinceps talibus tenta-
tionibus non pulsandum. *Adp.*
et mihi: doce me sub tuum præsidium
ita confugere, ut vincam!

2 Aprilis. 4 Nonas April.

SANCTE FRANCISCE DE PAULÂ, humi-
litate, virginitate, juratis corpo-
ris afflictationibus, fundato reli-
gioso Ordine, trajecto super pal-
lium, unâ cum socio, freto Sicilia
contemptu respectuum humanor-
um, prophetiis, miraculis, MARIA
amore mirabilis, amabilis; super
quem globo igneo inscripta Charitas,
tessera cordis tui, descendit in
caelo. Experiar utinam et ego illos
tuos ignes, etiam erga me explic-
tos. Certè si viveres, & morientem
mihi adesse posses, omni me ope
juvares ad sanctam æternitatem.
Nunc potes: juva. Descendat
etiam in me è caelo, & accendat, ex-
tinguat, consumat, consummet me
chari-

charitas, Deus ignis; ille æternâ omnium creaturarum charitate in æternum amari dignus Deus, qui charitas est: ut in charitate vivam, in illâ moriar, æternum charus charissimo Deo meo, & tuo. Amen.

S. Amphiane, pro Christo dilaniate, ac pedibus lino, in oleum intincto, & incenso, obvolutis cruciate, & in mare demerse.

S. Theodosia Virgo, quæ cum Sanctos ad tribunal salutare, & ut pro te orarent, orares; lateribus, & toto pectore, ad interiora usque, dilaniato, in mare projecta es.

S. Theodore, quem, è scelere conceptum, utero ferens mater, te, splendidæ stellæ instar, sibi videre visa, ad castam frugem conversa est: qui à S. Georgio, matrem tuam stricto ense terrente, defensus es; ne à frequenti templi S. Georgii visitatione, vel à matre, vel à dæmone, id conato, impediri posses: qui feras mulcens, eas familiares habuisti: qui ad desertam Episcopalem iusulam, increpante, ac hortante te per quietem S. Georgio Martyre, ita rediisti, ut postea te penitus abdicares.

S. Urbane Episc. vinearum, ab injuriis cæli, defensor.

S. Niceti

S. Niceti Episc. quem S. Martinus benedicens, à peste curavit; demonibus etiam post obitum terribilis: qui à morte oblocutori cuiusdam conspectus, dixisti: *Peccator conterende, desine stultè loqui*: alium è carcere liberasti: ad cuius sepulchrum orare divinitus iussus cæcus, oravit, & vidit: de cuius vitæ conscriptum librum, cum suis oculis piè admovisset cæcus Diaconus, illicò dolorem ac tenebras omnès absterfit, vidit, & librum legit: *guberna oculos meos, linguam, cor, & omnia; ut benè taceam, orem, loquar, videam.*

S. Maria Ægyptiaca, quam Zosimus, dum orares, vidit à terra sublimem: quæ per eundem Joannem Abbatem nuntiasti ignota ignota: *Attende tibi ipsi, & gregi tuo; aliqui enim fiunt ibi, meritò emendanda.*

Sancti Abundi, & Urbane, Episcopi.

S. Genovesa, quæ apud maritimum Comitem falsò accusata, & deserta, MARIAM cum invocares, dicentem audisti: *Ego te non deseram.*

S. Musa virguncula, quæ à MARIAM, tibi cum choro Virginum apparente, ut nugas, & levitates relinqueres

linqueres monita, paruisti; & trigesimo post die, MARIÆ, ad te in agone cum Virginibus venienti, & ad cælum invitanti, acclamasti: *Ecce, Domina, venio; ecce, Domina, venio; & abiisti.*

OMNES SANCTI, &c. pag. 320.

S. MARIA, *cujus imaginem, septemdecim aureorum millibus æstimatam, à Ludovico XI Rege, dono oblatam, accipere noluit hodiernus tuus S. Franciscus de Paulâ: aufer à me omnem, etiam in piis rebus, vanitatem; ut te colam, ita ut colî vis: prout illi coluerunt, qui te optimè coluerunt!*

S. MARIA, *quæ de Arnulpho puero, ut ad religiosum Ordinem reciperetur, Guilielmo Villariensi conspecta, dixisti: Sinè morâ recipe illum; quia vas electionis est mihi. Fac me vas electionis tibi: recipe me in album tuorum!*

3 Aprilis. 3 Nonas April.

S. Joseph Poëta sancte, cælestis hymnographe, cui in Cretenfi carcere vincto S. Nicolaus Myrensis Ep. apparuit; Christi persecutorem, mortuum esse dixit; te Constantinopolim proficisci, ad multos

V con-